

Annus tandem insequens 847 ab omni bello vacuus, quem Ludovicus & Lotharius, alter alterum invitando ad palatia sua, convivijs, ludis, venationibus consumpsere. Sed tanto celebrior Synodus Moguntina, quam Rabanus vir doctrina, religione, & vitæ integritate præstantissimus, ex Abbate Fuldensi à Ludovico Rege 15 Calend. Julij post obitum Otgarij nominatus impositusq; Archiepiscopus mox in septembri convocavit. Convenere ad eam omnes provinciales ejus Metropolis Episcopi, quos inter Baduradus Paderbornensis Episcopus tertio loco nominatus, habita nimirum ætatis ratione. Scribunt patres in Epistola, quæ synodo huic præmittitur, ad Ludovicum Regem, convenisse Rabanum Moguntinæ Ecclesiæ Archiepiscopum, unâ cum * Samuele, Egorbaldo, Baturato, Hebone, Gerbratho, Hemmone, Waltgario, Anschario, Otgario, Lantone, Salamone, Gebehardo ac reliquis Episcopis, Abbatibus, Monachis, & presbyteris ceterisque Ecclesiasticis ordinibus. Et verò quia Ebbo & Anscharius huic synodo interfuisse memorantur, confici volunt Ebbonem per id tempus Hildesensem Episcopum egisse, & Anscharium Bremensi Ecclesiæ præpositum fuisse. Confessus Episcoporum in S. Albani Basilica fuit, & in duas turmas distributus, quorum alter Episcoporum cum Sacerdotibus, alter Abbatum cum monachis, tertia jam classe, quam in mixtis Francorum synodis Comites & profani homines faciebant intermissa. Convocata potissimum hæc synodus ad libertatem Ecclesiæ asserendam in integrum, quando laici homines per licentiam civilium bellorum sibi potestatem non modò in bona & jura Ecclesiæ, sed in ipsos sacros homines sumere sunt ausi. Multa præterea unâ & triginta legibus sancita, ad disciplinam cleri, Monachorum, & populi instaurandam.

Synodus provincialis Moguntina à Rabano Archiep. celebrata.

Sub id tempus, dum synodus ageretur Moguntina, venit ex Alemanniæ partibus, ut Francorum Annales referunt, mulier, quæ se novam prophetidem jactabat, interq; falsa vaticinia assererebat docebatque pro concione, imminere hoc anno extremum fatalemque orbis diem; multaque ejusmodi arcana venditabat, de quibus à Deo esset edocta. His adeo perculsi utriusque sexus homines, ut & largamunera offerrent, & se fatidicæ precibus commendarent; quia tantafacundia id agebat, ut & sacri ordinis homines decepti, relicto docendi munere ad eam tanquam sapientiæ Magistram convenirent. Hæc ad Episcopos in S. Albano congregatos deducta convictaque imposturæ, haud aliud obtendit, quàm à Sacerdote sibi hanc fallendi artem esse suggestam. Quapropter Episcoporum judicio publicè flagellis cæsa, docendi munus, fallendique artes intermisit.

Cujus jussu Pseudo prophetis flagris cæsa & correcta.

* Samuel Wormatiensis Episcopus. Egorbaldus Herbipolensis. Baduradus Paderbornensis. Hebo sive Ebbo Hildesensis. Gerbrachus Curia. Hemmo sive Haymo Halberstad. Waltgarius Verdenensis. Lando Augustanus. Salamon Constantiensis. Gebehardus Spirensis. Otgarius Aichstadiensis. Mor-